

sæpe ad cœnam Phariseorum, licet inibi non legatur edisse carnes, non tamen legitur abstinuisse. Cur enim ibi abstineret, cui solenne agnum paschalem comedere?

CAP. III.

S U M M A R I A.

Argumentum IV. a proprio Christianitatis. Consuetudinis magna vis est. Nota Sanguinis discernitur a Iudeo Christianis. In sanguine uva protusio DEI.

CUM desiderio amicissimorum nonnullorum in præsentia magis assurgere, quam multa in rem dictam assertamque hætenus proferre velim argumenta, adjicio ultimum & quartum firmamentum pro honestissimo sanguinis esu, desumptum a proprio Novi Instrumenti. Carne divina velcuntur Christiani bibuntque sanguinem DEI in Sacramento Sanctissimæ cœnæ; non fide solummodo sanctum epulum participant, sed ore corporis nanciscuntur, ut ostenditur ex verbis Christi & Pauli ab orthodoxis Theologis. Auctor de Cardin. Chr. oper. in sermone de Cœna Domini: Nova est hujus Sacramenti Doctrina, & Scholæ Evangelicæ hos primum Magisterium protulerunt, & Doctore Christo primum hæc mundo innotuit Disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus usum Legis antiqvæ auctoritas districtissime interdicit. Lex esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur. Inde colligo, qui jubetur sanguinem sumere in sancto epulo, is non potest ad fastidium ejus in usu vulgari compelli, ne inculcatum interdictum præjudicet mandato. Ceu Judæi in profano usu jubebantur abstinere, ut abstinere discerent in Sancto; ita extra Sanctum Christiani fastidire non debent, quod intra sanctum cum mandato offertur. Superstitiosam Manicheorum a vino abinentiam nemo eruditorum ignorat; ita autem adsveti detrectabant integrum sanctæ cœnæ, repudiato poculo, sacramentum. Tanta est vis consuetudinis, ejusque præsertim præcepto obfirmatæ,